



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XI. Diploma Lotharij Jmperatoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

*Diploma Lotharij Imperatoris.*

Nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni, Lotharius diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Quia confessio delictorum non minus in aduersis necessaria est, quam in prosperis, & cor contritum & humiliatum Deus non despicit; gaudium etiam esse Angelorum in cœlo super uno peccatore penitentiam agente; non dubitamus mortales in terris; eos nequaquam despicimus; pro quibus gaudere Angelos in cœlo diuino testimonio non ignoramus; accusantes, & reprehendentes in excessibus semetipsos, diuina nos benignitas non condemnare, sed recreare docuit; quæ meretricem non solum à legali damnatione eripuit; verum etiam publicanum humiliatum, & accusantem se, non condemnauit, sed magis justificando exaltauit. qui, non dixit, omnis qui se humiliat condemnabitur, sed, exaltabitur. Potestatem ergo, quam pro causa nostra raptus perdidisti, repetentibus Ecclesia sua filiis, presentibus quoque astantibus, ac decernentibus Praesulibus, sedem ac dicecsem, Remensis Vrbis tibi N. restituimus, ut proximo sanctæ largitatis Apostolicæ pallio induitus; concordiam, atque gratiam diuini Officij nobiscum humili satisfactione expreas, solenni nostra largitate recipiendo exerceas. N. Episcopus assensi. N. Archiepiscopus cum ceteris plurimis presbyteris, ac diaconibus publicè assistentibus. Actum in N. Palatio publico, in mense Iunio x. Cal. Jul., regnante & Imperante Domino Lothario Cæsare, anno reuersionis eius primo, cum esset successor factus Patris in Francia. Indict. III.

Vu 3 Dipl.